



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Disputatio IV. De dignitate capitis in Christo Domino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)


troueram capaces redemptionis, quotquot peccatum, siue actuale, siue originale contraxerunt: ij enim omnes miseram peccati subiere seruitutem, ac sub dæmonis ditione, & potestate tenebantur. Cum autem Christus Dominus non solum peccatum, eiusque seruitutem non admittet, adhuc secundum humanitatem, vilo pacto potuerit: qui ex vi vnionis, à qua in sui existentia dependebat, euaserat, antecedenter etiam impeccabilis, redemptione sua nullatenus fuisse redemptum ac proinde redemptionis obiectum, vel subiectum non fuisse citra dubium est. Sed inde grauis difficultas emergit circa B. Virginem. Licet enim non ita peccati incapax, atque Christi humanitas fuerit; at nullum actuale veniale peccatum, nedum mortale, insuper neque originale admisisse fere dogmaticum est: quare neque vllam peccati seruitutem incurrisse; imò neque originalis peccati debito obnoxiam fuisse sup. cum multis defendebamus: quare, neque redimi à Christo potuisse constatarium videtur. Siquidem, vt in præfatione quæstionis monebamus, redemptio necessariò dicit in redimendis seruitutem, & captiuitatem, à qua redimantur.

2 Ob hæc docti plures apud Salazar de concept. c. 24. §. 9. & apud Bernal. d. 50. sect. 3. num. 34. nullatenus Deiparam à Christo fuisse redemptam asserunt, à quorum sententia non multum Bernal abhorret: licet oppositam absolutè sequatur. Cuius tamen infirmam satisfactionem de suo dedit num. 36. & cui soli fiderit. Nempe: quia accepit à Christo gratiam ex se redemptiuam, si peccati seruitus adesset: quemadmodum, qui de remisissis peccatis, etiam venialibus confitetur, absolui dicitur, quia gratiam de se remisissam, & absolutiuam eorum confessione sacramentali suscepit. Confirmat exemplis alijs Baptismi, & Extremæ vnctionis collatæ aliunde iustificatis, à venialibus etiam. Sed inde verò Christus à se ipso dici posset redemptus: cum sibi etiam gratiam habitualement de se à seruitute peccati, si adesset, fuerit promeritus: quod enim impeccabilis antecedenter ipsius humanitas sit, non tollit gratiam de se esse seruitutis peccati, si adesset, redemptiuam: nec conditionalis si adesset requirit seruitutis pro vilo signo naturæ possibilitatem, vt patet: Contra secundo: quia Deipara etiam cum debitum originalis peccati, & seruitutis non incurreret, est etiam antecedenter ex parte actus primi proximi impeccabilis originaliter: & tamen, quia recipit gratiam per Christum de se redemptiuam, & liberatiuam ab originali, eiusque seruitute, si adesset, per te redempta fuit à Christo ab originali: ergo, & Christus, licet antecedenter impeccabilis, quia gratiam ex propriis meritis de se redemptiuam, & liberatiuam à peccato eiusque seruitute, si adesset, recepit, à se ipso redemptus dici per te debet. Denique cum impeccabilitas hæc antecedens ex vnione hypostatica humanitati obueniât, potueritque Christus, meritis secundi instantis gratiam & vnionem hypostaticam sibi mereri pro primo nil solutio præstat.

3 Solidior ergo longè communis Patrum & Theologorum ratio est, pro redemptione B. Virginis à Christo filio, eiusque meritis, quam leui satis argumento Bernal loco citato detrahit. Nempe: meritis, & morte Christi Deiparam esse præseruatiuè redemptam non solum euitando illius in originale, sed & in originali debitum incursum: quæ amicitissima, perfectissima, ac nobilissima liberatio ac redemptio à peccato eiusque seruitute est: sicut amicitissima ac nobilissima curatio est medicinæ, quæ non solum ægritudinem, causâque illius proximam, verum & remotas auerit. Id quod respectu sui ipsius Christus non præstitit: cum ad omne ipsius redemptorium meritum vnio hypostatica natura præcesserit, quæ peccatum humanitatis, eiusque seruitutem fecit antecedenter impossibilem. Ad rationem dubitandi dicitur redemptionem vt sic, concernere peccati seruitutem non autem
R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

contractam, sed vel contractam, vel alias contractam: quod B. Virgini eueniret, nisi in Matrem meritis filij eligeretur, ex qua electione peccato originali eiusque debito oclusum ostium fuit. Exempla Bernalis in sua rationis confirmationem ex re non sunt, sicuti neque ratio.


4 De Angelis, quasi compertum traditur à Bernale num. 17. vniuersim redemptos à Christo minimè fuisse. Sed mihi tamen non adeo compertum est: Et enim monstrauit controu. 6. pluribus bonis, malisque Angelis gratiam primam promeritum fuisse Christum, ne peccarent: quare boni plures præseruatiuè, sicut de B. Virgine nuper docebamur fuere redempti à Christo absolutè & quoad effectum: mali item plures, quoad sufficientiam in satisfactione Christi. Eodem prorsus modo loquendum putat Bernal de B. Virgine, ac de redemptione, ego vero nullatenus Christum pro B. Virgine satisfecisse reor, licet eam redemerit: quia satisfactio & solutio vbi debitum non fuit, esse nullatenus potuit: neque vllum ex Patribus, aut Theologis alium audio dicentem Christum pro sua Matre satisfecisse, sicut eam redemisse à Patribus, & Scholasticis pluribus audio: Neque aliter quoad satisfactionem de Angelis omnibus loquendum censeo. De Mediatore inter Virginem Deiparam, & Deum per Christum intercessisse non multum grauaret. Mediatio enim non solum inter discordes est, sed inter aliquos, ne discordent, sæpe contingit, ac proinde Christum meritis, ac morte sua inter Matrem, & Patrem Deum mediassè facilius feram.



DISPUTATIO IV.

De dignitate capitis in Christo Domino.

Allegorica, & metaphorica tota hæc disputatio est: Siquidem tota de corporis humani, cuius adinstar Ecclesia consideratur, analogia desumitur. Tria vero in illa examinanda sunt. Primum: an Ecclesiæ caput tantummodo sit: an simul membrum eius absolutè dici queat? Secundum: ratione cuius sit Ecclesiæ caput? Tertium an omnium hominum, & Angelorum caput existat?



QVÆSTIO I.

An sola capitis ratio Christo Domino conueniat.

Væstio præsens supponit Christum Ecclesiæ caput esse: inquitque an solius capitis, non autem alterius membri ratio respectu Ecclesiæ illi conueniat. Vt autem nihil gratis supponamus, dignitas capitalis Christi firmiter statuenda primum est.

CERTAMEN I.

Capitalis dignitas Christi Catholicè adstruitur.

De capitali Christi dignitate nemo hæreticus adhuc, hæctenus dubitauit. Traditur expressè à
M m m a Paulo

646 Controversia de honorariis Christi, &c.

Paulo ad Ephes. i. illis verbis: *ipsum*, Christum, *dedit*, Deus, *caput super omnem Ecclesiam*. Eandem repetit sententiam c. 4. & 5. & ad Colof. i. ex quibus locis idem docent Patres, & interpretes omnes, atque scholastici Antisiodorens. 3. sum. tract. i. cap. 4. q. 6. Alex. 3. p. q. 12. m. 2. art. 1. S. Thom. q. 8. art. 1. ac sepius S. Bonau. in 3. d. 13. art. 2. q. 3. Ricard. q. 2. Palud. q. 1. art. 3. Gabr. q. vii. art. 3. dub. 2. Turrecremata i. sum. de Ecclesia à cap. 45. Driedo de captiuit. & redempt. gen. hum. tract. 2. c. 2. p. 3. art. 5. proposit. 4. Vasquez d. 48. cap. 1. Soar. 25. sect. 1. alique omnes, quorum plures de cursu disputationis recitabimus. *Ratio Theologica* S. Th. art. 1. corp. est perspicua; quia caput in corpore præcipua, prima, cæterisque eminentior pars eius est, & quæ in reliqua membra virtute suâ influat: atqui Christus in Ecclesia præcipua, primaque, atque longe eminentior cæteris pars est, & potest Deo cum gratia habituali, tum vnione propinquissimus, & cuius dignitate in Ecclesiæ militantis membra gratiam, in triumphantis verò partes omnes gloriam influat: ergo Christus est Ecclesiæ caput. Secunda ratio à S. Thoma omiſsa, quia suo præcipuo instituto de meritis Christi respectu Ecclesiæ non inferuiebat, ex summo Christi Sacerdotio, atque imperio præcellenti, eorumque dignitatibus petenda est.

2. Intempestiuè hic à nonnullis oblonga disputatione examinatur: an influxus gratiæ in militantis Ecclesiæ, & gloriæ in triumphantis membra à Christo Domino præstitus physicus etiam, nec solum meritiuus sit? Id quod importunum hic, valdeque indignum longa quæſtione prorsus est. Curs enim in Christo Domino naturæ sint duæ, diuina scilicet, & humana: si de Christo secundum naturam diuinam, siue, qua Deus est, loquamur, dubium non est quin physice gratiam in Ecclesiæ membra, & gloriam omnem influat. Si autem de Christo, qua homo est, siue secundum humanitatem, etiam Deitate delibutam, atque, vt sic loquar, informatam agamus, cum ex eiusmodi vnione seu informatione Deitatis nihil potentia actiue diuinæ, siue omnipotentia humanitati communicetur, non magis influat, influere poterit physice in gratiam, & gloriam, prout vnita Deo, siue Deitati, quam possit ex vnita: quare tota quæſtionis, quoad hanc partem, resolutio pendebit ex alia quæſtione generali de potentia obedientiali actiue creaturarum ad effectus quosuis, pro Dei nutu physice producendos, quam semel per otium in physicis vniuersim à creaturis relegauimus, ne ea de re pro singulis quæſtionibus disputantes inutili repetitione, non auditorum tantum, sed, & cartharum, ac typorum patientiam onerarem.

3. Catholico huic dogmati de capitali Christi dignitate opposuit S. Thom. loco citato. Primum: quod Christus, in quantum homo, non influat, donec nobis Spiritum sanctum. Huic apprimè respondit: Christum, quia hominem, non donare, influere Spiritum sanctum, authoritatiue, siue, vt eius auctoritatem, sed meritiue solum, & instrumentaliter. Nimirum merendo Ecclesiæ membris dona gratiæ, quibus specialiter in eis adest Spiritus sanctus: atque insuper, vt Dei organum, quod voce, sonoque doctrinæ suæ ad Dei, ac Spiritus sancti gratiam nos aduocauit; sicut, imo multo magis, quam Ecclesiæ Doctores reliqui ad Spiritus sancti gratiam nos reuocent: quod ministerij moralem quamdam gratiæ efficientiam sibi appellat. Secundum erat huiusmodi: quia caput non datur caput, vt oculis patet: atqui Christi datur caput nempe Deus, dicente Paulo ad Corinth. 1. c. 11. *caput Christi Deus*, ergo non est Christus caput. Concedit in physicis maiorem; negat autem in moralibus, & politicis. Exempla in moralibus, & politicis sunt obuia plura. Paterfamilias est caput domus, & familia; atque habet caput Rectorem Reipublicæ: atque hic, licet Reipublicæ caput sit, habet caput suum nempe Prouinciæ totius Præfectum, siue Proregem: qui vltimè habet caput, Regem scilicet.

4. Tertium argumentum apponit: quia caput est particulare membrum corporis, atque influentiam recipit à corde: membro scilicet, corporis eiusdem particulari: atqui Christus nec particulare Ecclesiæ membrum est, neque à particulari alio Ecclesiæ membro, seu corde illius, quodcumque illud sit, influentiam recipit; sed potius ab eo reliqua Ecclesiæ membra influentiam recipiunt, tanquam ab vniuersali principio influxio donorum gratiæ: ergo Christus non est Ecclesiæ caput: Responderetur mysticum & morale caput non debere assimilari in omnibus, & per omnia caput corporis physici, vt supra ad argumentum primum dicebamus: quare, neque in eo, quod influxum recipiat ab vilo alio corporis morali membro, quod instar cordis se habeat, vt patet in aliis moralibus, & politicis capitibus Reipublicæ, quæ opus non habent, vt alius capita sint, influxu alicuius membri Reipublicæ in ipsa. Illud de particularitate membri, quam habet caput in corpore physico tangit difficultatem certæ. 2. examinandam, an scilicet Christus Ecclesiæ membrum absolute dici possit. Nunc dico in essendo particularitate membri capitis in corpore physico Christum in Ecclesia imitari: cum non sit omnia, imo, neque aliud Ecclesiæ membrum, vt iam dicam, licet influendo sit vniuersale principium.

CERTAMEN II.

Christum solum non est aliud Ecclesiæ membrum, neque absolute illius membrum dici potest.

1. Dico primo: Christus solum non est aliud Ecclesiæ membrum. Etsi enim vniuersalem in cuncta Ecclesiæ membra influxum habeat, quod proprium videtur esse cordis in corpore vniuersi, atque eminentia respectu cæterorum membrorum, que in Christo manifestè est, non competit cordi, sed capiti, à quo etiam respectu reliquorum membrorum vniuersalis influxus sine inferioritate locali respectu illorum, que in corde cernitur. Addit S. Th. ad 3. seclusa, seu non considerata inferioritate Spiritum sanctum posse oportunitas cor Ecclesiæ dici, quia inuisibiliter in omnia Ecclesiæ membra vniuersaliter influat. Dixi solum Christum esse caput, ac non aliud Ecclesiæ membrum, iuxta S. Th. ad 6. quia, licet summus Pontifex totius Ecclesiæ militantis caput sit, non autem triumphantis, in qua membrum solum est. Neque militantis est caput quoad interiorè gubernationem per influxum gratiæ, imo quoad exteriorè adhuc gubernationem sicut Christus, cuius solum nomine, & vice habet potestatem eiusmodi, ac proinde in tota militante hominum Ecclesia caput absolute non est: cum in tota hominum Ecclesia, militante adhuc, caput Christus sit, ac respectu ipsius summus etiam Pontifex sit membrum.

2. An verò quia caput corporis physici membrum absolute est ac dicitur, Christus Ecclesiæ, cuius est caput, absolute ac sine addito vilo membrum dici possit? Maiori quam par esset, contentione à Theologis disputatur. Antisiodor. & Turrecremata cap. 47. num. 3. S. Th. in 4. d. 49. q. 4. art. 2. ad 4. atque in id. Cor. 12. *vos estis corpus Christi, & membra de membro* aiunt posse dici membrum Ecclesiæ, prout suum caput includit: cum sic acceptæ pars Christus manifestè sit. Ex quo infert Antisiodor. posse etiam absolute dici Christum membrum Christi iuxta regulam Ticonij probaram Augustino 3. de doctrina Christiana cap. 31. vt nimirum, ea omnia, quæ Ecclesiæ tribuntur, tribui Christo possint, & contra, que Christo Ecclesiæ ideo enim teste Augustino in Plainum 30. Christus sponſus, & sponſa etiam dicitur: *quia sunt duo in carne vna*. Verùm regula hæc intelligi in his debet, que

CERTAMEN I.

Capitalis dignitatis Christi forma statuitur.

in suo conceptu, & modo significandi distinctionem non important, uti membrum ab eo, cuius membrum est, importat distinctionem: quare Ticonij regula ad hanc Antiochodensis locutionem inferuire minime potest: quoad præcipuum autem, de quo est quaestio præsens.

3 Dico secundò: Christus Ecclesie, etiam prout caput suum includit, scilicet Christum, membrum absolute dici nec debet, nec potest. Ita S. Th. in 3. d. 13. q. 2. a. 1. ad ultimum. Marfil. q. 10. Alex 3. p. q. 12. m. 2. a. 1. Valquez proximè num. 5. §. *Mibi videtur*. Soarez etiam proximè sect. 1. §. *Aliis autem*. Probatur primò conclusio: quia, ut bene Valquez, membrum absolute dictum ex communi modo significandi inferiora alia membra corporis significare videtur: quare de Christo Domino, qui non inferius Ecclesie membrum est, sed potius superius, & præcipuum ipsius membrum, nempe, caput, absolute ac sine vilo addito, quòd eius in corpore Ecclesie superioritatem, & eminentiam significet, membrum dici non debet. Probatur secundò: quia membrum absolute, ac sine vilo addito dictum dicit participationem virtutis à toto corpore, & membris aliis: id quod physico etiam capiti corporis contingit, ut cert. 1. num. 4. dicebamus à corde recipere: Item, quarecipit ab aliis membris alimentum, neque sine illis conservari usquam potest: quæ omnia Christum dedecent: ergo, licet caput physicum physici corporis membrum absolute dici possit, Christus tamen Ecclesie membrum absolute, nec dici potest, nec debet.

4 Obiicies illud 1. Corinth. 12. *vos estis corpus Christi, & membra de membro* id est de Christo: ergo Christus membrum absolute à Paulo dicitur. Negatur illud de membro idem esse, ac de Christo. Contendit enim ibi Paulus, ne Corinthij diuisi inter se Schismaticis essent: sicuti neque membrum corporis ab alio, de quo membrum est, id est, cuius commembrum est, diuisi vult, sed potius connexum ipsi esse, membrumque ad inuicem esse illius, siue cum illo amat: non alia de causa, nisi, quia vnus corporis membra ad inuicem sunt, sicut sunt fideles, ut explicant S. Th. Gagneus, Claudius, Guillardus, Ambros. Hieronym. Valquez à num. 5. Soar. §. *Nec Paulus*. Anselmus illud de membro refert ad Paulum, ac si dicat de me, qui sum membrum corporis Ecclesie, cui tanquam Reçtori, gubernatorique vestro adheretis in Christo. Quam etiam expositionem probat S. Thom. denique Chrysol. Theophylact. eucumen. Theodoret. Gagneus, & Claudius ex Græcis codicibus legunt: *membra ex parte* id est, non omnes vos membra estis corporis Christi, sed qui ex vobis sunt fideles: siue, ut Soarius interpretatur, estis totum Christi, siue Ecclesie corpus, sed pars solum, quia plurimum refert ab aliis partibus non diuisi, ac seiungi, ut conseruetur.

QVÆSTIO II.

De forma, & subiecto capitis in Christo.

DV O hic, & difficilia examinamus, & quæ de se clarent, quin quaestionis titulus opus explanatione habeat.

1 Circa formam, qua Christus Ecclesie caput constituitur, sententiam primam sine authore recitauit Soar. sect. 2. §. *dubitant verò* ut scilicet forma, qua in esse capitis Christus constituitur, neque gratia vnionis, neque gratia habitualis sit, sed tertia alia forma, nescio quæ, ab vtraque diuersa. Id quod, quia sine authore, nec certa aliqua designatione dictum statim reiecit ipse. secundam sententiam recitat, in eamque ipse præpenderet §. *inter has opiniones* post med. ac censet esse S. Th. & aliorum, quos pro sententia 3. referemus, mentem; ut forma capitis in Christo ex vtraque gratia, & vnionis, & habituali confletur: quia nimirum gratia vnionis in esse personali, & excellentiori ceteris Ecclesie membris constituitur, gratia verò habituali constituitur principium proximum influxuum ad aliorum sanctificationem, quia per illam vltimo disponatur, ac perficiatur humanitas Christi ad eiusmodi influxum. Verùm sententia hæc authore, & fundamento rationis æque caret, ac præcedens. Cum enim gratia quæuis non alio modo ad meritum influxum conferat, quam dignificando formaliter operantem: dignificet autem per sui formalem existentiam in operante, neque gratia vnionis iuari à gratia habituali, ut formaliter magis, vel proximius dignificet, & influxuum reddat humanitatem in aliorum sanctitatem, & gratiæ dona: effectus enim formalis, qui non præstatur à forma secundum se, non potest idemet præstari ab eadem ratione alterius formæ, nisi effectus sit complexus, & diuisibilis, parique ab vna, & pars ab alia formaliter tribuatur: quod hic euenit, ut iam ostendo.

2 Etenim ex hypostatica vnione humanitas formaliter, & absolute dignificatur suo modo infinito, quin ad hoc inuertur à gratia habituali; hæc enim sublata humanitas esset vi vnionis infinite sancta, Deo grata, & digna, utpote in naturalem Dei filiationem formaliter per illam euecta, ut infinite honestis suis operibus mereretur, ac proinde, & aliis Ecclesie membris gratiæ dona meritiuè influeret: ergo nec proximè, neque vilo modo à gratia habituali disponitur ad merendum aliis humanitas vnita, sed sola vnione principium proximum influendi in Ecclesie membra constituitur. Confirmatur: quia, ut supra docebamur humanitas vnita hypostaticè non redditur magis sancta, gratiòrve Deo per accessum gratiæ habitualis, quam per solam vnionem esset, si gratia non adfuisset: ergo gratiæ accessu non magis dignificantur merita ipsius. Confirmatur secundo: quia dignificatio humanitatis per vnionem est eminentioris ordinis, & è suo genere infinita: quare accessu dignitatis inferioris, quæ in gratia habituali esse potest, atque in illa dignitate vnionis eminenter continetur, nequit auferre. Concludo igitur non magis conferre humanitati vnita gratiam habitualem ad influxum in Ecclesie membra, quam ad eminentiam humanitatis super illa; quod si admittatur, (quod falsum esse supra ostendimus controu. 6.) à gratia habituali dignificari merita humanitatis, ut ab hac sententia admittitur: cum ea sit longè maior in humanitate Christi, quam in tota Ecclesia reliqua, per eam etiam toti Ecclesie eminebit singulis & omnibus Ecclesie membris Christi humanitas: quare neque ad eminentiam capiti necessariam humanitati præstandam vnione hypostatica egebit humanitas.

3 Ob hanc fortasse rationem præscorum ferè omnium Theologorum sententia fuit teste Valquez vbi proximè c. 4. num. 17. & Soar. §. *secundus modus*, gratiam

M M m 3

tiam, siue formam qua Christus Ecclesie caput constituitur esse gratiam solum habitualem, quae gratia, quatenus humanitatem sanctificat, dicatur, capitis autem gratia, quatenus & aliis eminentiorem membris, & principium influendi sanctitatem, & dona gratiae in illa humanitatem reddit. Ita censent. S. Th. 3. p. q. 8. a. 5. vbi Caietanus, & omnes Dominicani commentatores. Alexand. q. 11. membr. 3. Corp. & ad vltim. S. Bonau. in 3. d. 13. a. 2. q. 2. Richard. a. 3. q. 2. Gabr. q. vn. a. 3. sine. Almain. q. vn. sub finem. Palud. q. 1. a. 4. Concl. 3. Durand. q. 2. num. 9. Maril. q. 10. a. 1. ad 3. dubium, licet autem Marfil. Richard. Bonau. & Alexand. gratiam, qua Christus caput Ecclesie constituitur gratiam vnionis appellent, non ideo est, quia ipsam gratiam vnionis formam constitutiua capitis in Christo putent, sed quia gratiam habituaalem, quam modo explicato gratiam & formam constitutiua capitis esse docuerunt, dispositionem in Christi humanitate ad vnionem hypostaticam esse docebant. Id quod controu. 2. discimus: quoad praesentem vero sententiam attinet impugnatur: quia valor meritiuus operum Christi infinitus est principium influxiuum in omnia Ecclesie membra: est enim valor, & virtus influxiua meritoria inexhaustibilis per praemia, & dona gratiae, quae cunctis, & aliis & aliis hominibus eorum titulo conferri à Deo possent: vt controu. 6. d. 1. q. 1. ex Patribus docebat: at eiusmodi valor, & dignitas tribui operibus Christi à gratia habituali nequit: tum quia infinita absolute non est, vt ostendi controu. 5. d. 3. q. 2. cert. 2. tum etiam quia, etsi infinita foret non magis dignificaret opera, neque ad praemium maius, quam dignificaret remissa gratia, vt ostendimus controu. 6. q. 1. cert. 3. cum. 3. Aliam impugnationem subdo statim in conclusionis nostrae probatione.

4. Dicendum igitur est: formam, siue gratiam capitis in Christo fuisse gratiam vnionis solum. Ita docuit Vasquez vbi proxime §. *verum cum Prima*. Probabit ille: quia per gratiam vnionis nobilissimè, atque infinite eminet ceteris Ecclesie membris, vt decet eorum caput: insuper, & habet virtutem influxiuam omnium donorum gratiae in omnia Ecclesie membra meritorie per solum vnionem: quae quidem certa sunt ex controu. 6. d. 1. q. 1. cert. 3. quoniam autem illa particula *solum* excluditur gratia à principio influxiua meritorie in Ecclesie membra; probat hoc Vasquez: quia gratia habitualis nequit dignificare opera ad merendum aliis. Leuis probatio. Ostendimus enim controu. 2. ex gratia habituali solum dignificari posse opera iusti ad merendum aliis dona gratiae. Secundo non dignificentur opera per gratiam habituaalem ad merendum aliis dona gratiae de condigno; aut iustum mereri posse aliis dona gratiae de congruo nulli Doctori Theologo dubium est, & fortasse nemini Catholico esse potest: cum Patres dicant Ecclesiam non habiturae Paulum, nisi pro lapidantibus, & iuuantibus hostibus orasset Stephanus: atqui meritum congruum absolute influxiuum moraliter & meritorie est in dona gratiae, quae ob illud donatur. Melius probatur ex impugnatione sententiae proximè data num. 3. Secundo: quia gratia habitualis non dignificat naturam humanam Christi ad meritum in vnionis hypostaticae praesentia, sicuti non constituit filiam adoptiuam neque magis sanctam, gratamve constituit absolute, vt docebamus. d. 5. neque magis dignam, quae praenietur, si operatur: quia vnione dignitas, & sanctitas simpliciter, & ex genere infinita offertur humanitati, in qua quidquid perfectionis, sanctitatis, & dignitatis gratiae habitualis perfectiori, & eminentiori modo formaliter continetur, vt loco citato docebamus: quare gratiae accessu humanitatis sanctitas dignitasque non crescit.

CERTAMEN I I.

De Capitali dignitate Christi Domini subiecto.

1. **N**on agimus de capitali Christi dignitate, qua Deus, & Verbum. Hanc enim ij solum negere possunt Christo, qui vel Verbum creaturam cum Aetio blasphemarunt, vel Christum purum hominem negata hypostatica vnione humanitatis ad Verbum cum Nestorio insanè crediderunt, vel cum Eutychete vi vnionis vtramque naturam in tertiam quandam per confusionem abiisse delirarunt. Qui enim Catholicè credunt Christum verum Deum esse, ex ea parte creatis omnibus infinite eminere, atque in creatura omnia cum per naturalia, tum per supernaturalia graue beneficia physicè influere nequeunt dubitare. ac promde Christum, qua Deum caput esse non Ecclesiae solum, sed & creaturarum omnium asserent certo. Agimus ergo de capitali Christi dignitate purè diuina inferiori, in Ecclesiam Dei, de qua haecenus egimus, & quae Christum respectu Dei inferioriorem, atque capitalis illius diuinæ membrum relinquat, vt ait Paulus recitatus. 1. Corinth. 11. *caput Christi Deus*, quae item licet Deitate tanquam forma constituitur, non tamen per eius identitatem, sed per vnionem. In hac autem quaestione duo dubitari, quoad praesens, poterant. Alterum an Deitas, vel sola, vel in consorcio humanitatis sit eius dignitatis subiectum? quo circa Stanislaus Sarnicij, & Caluinus confederatè ad sua deliria de subiecto Sacerdotis, Mediatoris, & Redemptoris suis locis confutata possent esse. Alterum an posito, quod sola humanitas sit eius dignitatis subiectum tota tota secundum animam, & corpus, nec solum secundum animam tale subiectum sit?

2. Circa primum dico primò. Christus secundum humanitatem solum est Ecclesiae caput, atque eius capitalis dignitatis subiectum. Probat primò ex 1. ad Ephes. vbi Paulus de eo, quem à mortuis suscitatum, atque ad Dei dexteram sedere (quae omnia secundum humanitatem, non secundum diuinitatem Christo obuenerunt) dixerat, *subdit ipsum deitè caput esse super omnem Ecclesiam* item. 1. Corinth. 11. *Christi*, quem Ecclesiae caput esse dixit, subiungit *caput esse Deum*: ac Christi secundum Deitatem caput Deus non est, cum ei, quatenus Deus, nec emineat, neque influxum vllum gratiae prestare Deus possit: ergo cum de Christo capite Ecclesiae, subiecto Deo capite loquitur Paulus, loquitur de Christo secundum humanitatem solum. Accedit pro hac conclusione Patres Chrysost. Hieronym. Ambros. Theophylact. Theodoret. in id ad Ephes. 4. *qui est caput Christus*. Ad Ephes. 5. *uir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae*. Hilar. 8. de Trinit. sub. fin. in id ad Coloss. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiae* sic habet: *ob dispositionem corporis nostri ipse est caput*. August. 1. de Trinit. c. 12. ait: *esse caput secundum formam solum*. Constant. Praefatione ad. 2. enarrat. Psalmi. 20. & Psalmo 139. serm. 50. de verbis Dom. Epist. 50. & 97. Basil. lib. de Spiritu. S. c. 5. Aratione non satis firmiter probat conclusionem. Soar. sect. 1. §. *dico primo* post med. nisi explicetur iuxta rationem pro conclusione secundam dandam.

3. Dico secundo: Christus est Ecclesiae caput secundum humanitatem totam, neque solum secundum animam, sed, & secundum corpus simul. Probat conclusio: quia Christus integrè, & adaequatè sumptus, vt homo, nec solum secundum animam, sed etiam secundum corpus simul ex vnione hypostatica suae totius humanitatis ad Verbum excellit singulis, & omnibus Ecclesiae membris: insuper non solum secundum animam, sed secundum corpus etiam, & car-

nem, eiusque opera, & passiones ex vnione hypostatica dignitas toti Ecclesie gratie dona fuit Christus promeritus, atque opus nostræ redemptionis consummauit: ergo non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus omnibus Ecclesie membris, & eminent, & insitit: ergo illius est caput, etiam secundum corpus, nec solum secundum animam, ac proinde secundum humanitatem totam Christum Dominum, quare tota Christi humanitas est capitalis huius dignitatis subiectum: quandoquidem duo tantum illa habere debet, quod respectu alicuius corporis capitalem dignitatem habet, & influxum. Confirmatur, quoad influxum merituum, de quo maior esse dubitatio posset: quia hominis cuiusque merita non sunt animæ solius, sed cum consortio corporis, quod proinde particeps præmij esse debet. Denique Christi caro etiam in Eucharistia fidelibus communicantibus gratiam inquit.

QVÆSTIO III.

An totius adæquatè Ecclesia caput Christus existat.

Cecclesiam vsurpare possumus pro congregatione hominum: & hanc, vel hominum militantium in hac vita, quorum congregationem militantem Ecclesiam nominamus, vel hominum in cælis triumphantium, & regnantium cum Deo, quam congregationem vocamus triumphantem Ecclesiam: vel eam vsurpare possumus pro congregatione omnium hominum status vtriusque & viatorum, & Beatorum. Vel tandem Ecclesiam totam possumus accipere pro congregatione non solum omnium hominum status vtriusque, sed Angelorum etiam tam viatorum, quam Beatorum.

CERTAMEN I.

Ecclesia totius hominum Christus est caput.

Conclusionem hanc de fide esse probant testimonia ex Scriptura, & Patribus data supra. q. 1. cert. 1. quibus adde Augustinum c. 56. Enchiridij audentem Christum esse caput Ecclesie, quæ est in hominibus. Chrysost. hom. 1. ad Ephes. 1. sub fin. Theophylact. dicentes Christum secundum carnem esse hominum caput. Est autem de fide sumpta Ecclesia pro hominum omnium fidelium congregatione, pro quibus intentum euincit, siue in cælis triumphant, siue non, sed causa felicitatis suæ summa in infernum ceciderint. Ratio Theologica à nobis data q. 1. cert. 2. cum & eis omnibus Christus emineat, & gratie dona in ipsos influxerit merituum. Addunt Theologi omnes cum S. Th. art. 2. ita esse caput hominum præfatorum Christum, vt non secundum animas solum, sed & secundum corpora fit caput: id quod, licet de fide non sit, verissimum tamen, ac certissimum est. Etenim ex eo solum, quod dona gratie supernaturalia in hominum animas influerent meritorie ipsorum caput absolute foret: at in corpora etiam meritorie insitit: quia illa per gratie auxilia, motusque primo primos sensitiui appetitus in bonum & honestum arma uoluntatis in sanctificationem, atque virtutis consummationem meritis suis reddit, dum homines militant, atque gloriæ dotes comparat dum triumphant.

2 An vero eorum omnium pro omni tempore caput extiterit? v.g. Adami pro tempore status innocentie adhuc sub Theologo iudicis est. Pro affirmatiua

parte accerrime pugnavit Soar. d. 25. sect. 1. 8. secundo dubitari potest, & quotquot, cum Scoto, Marfilio, Gabriele, Maiore, & Molina docent Christum ante absolute præsumptum Adæ peccatum præsumptum absolute esse: unde eorum aliqui venturum, etiam Adæ non peccaret, affirmant, consensuri videntur: eos verò recensimus controu. 3. d. 1. q. 2. & 3. Nos autem cum Christum non nisi post peccatum Adami absolute præsumptum, quo innocentie status in eo perit, præsumptum ibidem docuerimus, nec aliquid ipsum meritis per modum præmij & solutionis, siue in ipse, sed solum absolute existentibus, & remunerandis fuisse hominibus promeritum ostenderimus controu. 6. d. 1. q. 4. à certamine 2. pro negatiua sententia stare debemus. Cum enim dona gratie auxiliantis, imò & reliqua illius status Adami ante absolutam existentiam peccati, ac proinde Christi, fuerint à Deo concessa, nec nisi existente Christo merita ipsius absolura esse pro vilo naturæ signo, mouere Deum possint, ea ex Christi merituum influxu pronepire non poterant. Sed dices: licet hoc de auxilio gratie ad non transgrediendum præceptum vera sint, alii non de gratia habituali, aliique donis Adami innocenti concessis: quia hæc peccatum natura non præcesserunt, quare neque Christum, eiusque merita absoluta: ergo quoad ea habuit Christus influxum merituum: siquidem potuit, decentiusque Christo est. Sed tamen nego non præcessisse omnia dona status illius natura peccatum Adæ: nam, vt obiecta, & bona, per peccatum attendenda proposita ipsi per auxilia sanctorum cogitationum fuere, ne laberentur.

3 Dubitari secundo potest: an non solum fidelium omnium hominum, sed, & infidelium caput Christus extiterit? licet, nec fide, nec circumcisione, nec baptisate Ecclesie membra fuerint, eamque fuerint ingressi. Affirmat S. Th. art. 2. ex quo & Vasquez in eum articulum, & Soarez ibidem, & d. 23. sect. 1. 8. ex hac conclusionem, licet an tacite, vel expressè S. Th. seriatim decernerent. His, & ego Doctoribus assentior. Licet enim non adeo vnita membra Christo infideles sint, neque sint Ecclesie fidelium actualia membra: nequequeque caput physicum in membra non vnita sibi, & aliis membris influere; alii Christus Dominus morale caput tantæ virtutis influxiua meritorie est, vt in membra sibi non adeo vnita possit meritorie influere: id quod certissimum est: cum certum sit infideles, & paganos ad fidem, & Sacramenta per merita Christi vocatos semper fuisse, etiam tunc, cum in paganismò, atque infidelitate versabantur, atque eorum plures vocati non per Christum non respondisse. Similiter est certum etiam infantibus in vtero decedentibus & remedio ad salutem prouisum à Deo ex meritis Christi fuisse: ac proinde in infideles capitis Christi merituum influxum extensum esse. Nec paritas corporis physici obest: siquidem neque hoc in membra mortua influere potest: cum tamen Christus morale hominum caput in membra mortua Ecclesie, scilicet peccatores, meritis suis influat dona gratie continuo, vt respiciant. Dixi autem infideles, licet Ecclesie membra actualia non sint, Christo non adeo vnitos esse, ac fideles: quia aliquatenus Christo vnitos reor è Christi, & Dei beneuolo affectu eos Ecclesie fidelium sibi & Deo per dona gratie coniungendi.

4 Denique de damnatis ob solum originale (id est, que est de demonibus) S. Th. a. 3. ac Theologi reliqui docent Christum, qua hominem, eorum caput non esse: quia nihil in eis est donorum gratie, quæ ob Christi merita à Deo donetur: neque est beneuolus affectus eos sibi, & Deo coniungendi, sicut erat dum viuerent. Licet autem adultis sic damnatis cum solis venialibus pœna sentus citra condignum infligatur, atque infantibus dona plura naturalis ordinis, atque illustrationes etiam aliquot, vt volunt nonnulli, concessurus sit, nequaquam id ex meritis Christi fore communiter asseritur: quæ tota fidei Charitati, sanctitati, gloria,

650 Controversiæ de honorariis Christi, &c.

gloriæ, aliisque ad hæc conducentibus, à quibus pro eo statu longè positi damnati, imò sepositi manent, impensa fuere: quæ ratio de damnatis omnibus etiam ob mortalia actualia æquè probat. Quamquam non minus grauarer dicentem ea omnia beneficia siue positiua, siue priuatiua damnatorum meritis Christi deberi. Licet enim è salutis hominum solum sine venerit Christus, alia tamen plura, quæ eò non conducunt ex infinitatè meritorum potuit obtinere, eo solum, quod hominum salutem non opponantur: idque gloriosius fortasse Christo videatur.

CERTAMEN II.

Christus secundum humanitatem etiam plurimum Angelorum est caput.

Christum, quæ Deum, siue secundum Deitatem Angelorum omnium caput esse dogma Catholicum est. At verò secundum humanitatem esse etiam aliquorum Angelorum caput negavit Antiochenus, 3. sum. tract. 1. cap. 4. q. 2. s. Bonau. in 3. d. 13. a. 2. ad 3. Gabr. q. vii. a. 3. dub. 2. Sotus in 4. d. 49. q. 4. a. 2. sine. Driedo de captiuit. & redempt. gener. humani tract. 2. c. 2. p. 3. a. 5. post quartam propositionem. Pro qua sententia stare videtur Chrylost. hom. 1. in id ad Ephes. 1. Ad distinctionem plenitudinis dicens: *Vnum nobis posuit caput Christum secundum carnem: omnibus inquam, & Angelis, & hominibus. Hoc est alium dederat Angelis Principatum, & alium hominibus. His quidem, quod secundum carnem: illis verò Verbum Deum.* Consonat Theophylact. in id ad Ephes. 1. *ut consummantur omnia in Christo* atque uterque Theodoretus in id ad Coloss. 2. *qui est caput omnis principatus, & potestatis:* in hæc scribenti: *est nostrum caput, quod attinet ad humanitatem; Angelis autem, & Archangelis præst. ac imperat, quod attinet ad diuinam naturam.* Respondet Soar. illis verbis secundum diuinam naturam designari formam capitalis dignitatis Christi respectu Angelorum, non subiectum. Sed contra: quia eo modo secundum Deitatem tanquam forma, & nostrum caput est: quid ergo designatur distinctionis mediata illa Patrum antithesi? Melius, veriusque responderet subiectum denotari, sed Patres id quod clarius erat asseruisse, obscurius autem & difficiliter omisisse potius, quam negasse.

2 Dicendum nobis est: Christum etiam secundum humanitatem Angelorum caput esse. Indicat satis S. Th. 3. p. q. citata a. 2. ad 2. vbi Caiet. & reliqui Dominicani interpretes docent. Alexand. q. 13. m. 2. a. 1. Ricard. in 3. d. 13. a. 2. q. 3. Palud. q. 1. a. 3. Durand. q. 2. Vazquez vbi proximè c. 3. §. *Ego tamen* Soar. proximè §. *dico secundo* atque reliqui Theologi præter citatos pro sententia aduersa. Probat ex 1. ad Ephes. fin. vbi de Christo suscitato à motis constitutum fuisse super omnem Principatum, & potestatem, virtutem, & denominationem ait, *ac datum esse caput super omnem Ecclesiam.* Nempe non solum hominum, sed ex eis, & Principatibus, & potestatibus Angelicis super quas constitutus immediatè dicebatur, ut exponunt Hieronymus ibi Gregor. M. hom. 7. in Ezechiel. Iam verò Christum suscitatum à mortuis secundum humanitatem, non autem secundum diuinitatem dubitat nemo: ergo secundum humanitatem Angelorum caput dicitur à Paulo Christus. Probat secundò, ex 2. ad Coloss. *estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis:* id est, Angelorum iuxta Patres & interpretes omnes; atqui repleti sumus in Christo, ut homine gratiæ & donis, quæ nobis meruit: ergo illud, qui Christum: ut hominem refert, dum caput Angelorum prædicatur. Probat tertio ex Augustino, & Hilario in id Psalmi 39. *caput circumitus eorum.* Huius

verba sunt: *ut in omnibus sanctis caput Christus est: ita omnibus iniquis caput diabolus est:* Atqui Angeli boni intra omnes Sanctos absolutè comprehenduntur: item omnium iniquorum etiam hominum caput diabolus est: ergo & Christus etiam iustorum, iuxta Hilarium & Augustinum.

3 Quarto August. idem concione 3. in Psalm. 36. *caput nostrum Christus est. Corpus captiuus illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos. Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt in isti adiuncti etiam Legionibus, & exercitibus Angelorum: ut illa vna ciuitas fiat sub vno Rege, & vna illa provincia sub vno imperatore.* Similibus verbis conclusionem, & rationem eandem dedit nobis Theophanes. Nisi Episcopus apud Turrianum infra: qua non solum probetur Conclusio, sed aduersariorum ratio ex diuersitate nature corporeæ humanæ ab spiritali Angelica. Angeli & homines in vnam rempublicam moralem spirituales coalescere possunt, de factoque coalescunt: ergo non obstante eadem diuersitate nature humanitatis Christi ab Angelica poterit Christus secundum humanitatem totius illius reipublicæ spiritualis moralis, etiam quoad Angelos, esse caput. Naturalis quippe Angelicæ nature excellentia præ humanitate infinita dignitate vniuersi infinitè excedit à Christi humanitate. Antecedens non solum de possibili, sed, & de facto dogmaticum est: traditur enim ab Hilario, Hieronymo, Theophane, & August. proximè, & c. 56. Eucheridij, & collat. 3. contra Donatum argue à Concilio Niceenso Canone recitato Turriano 2. de dogmat. character. vbi id fusè, atque eruditè probat.

4 Probat secundò ratione Theologica à priori: quia humanitas Christi ratione vniuersi hypostaticè Angelis omnibus longè dignitate antecellit, ut patet atque insuper in Angelos beatos meritis suis plura dona influit: primò illustrationes plures iuxta Dionysium 7. de caelesti Hierarch. & Theologos omnes. Secundo gloriam accidentalem de peccatorum penitentia, & sanctorum omnium gloria, de quo dubitari à nemine potest. Tertio: & gloriam mè iudice essentialem: quia eorum pluribus prima gratiæ auxilia, ne laberentur, sed obsequio mererentur gloriam, pro merito fuit Christus, ut docebamus controu. 6. d. 2. q. 2. cert. 3. ac proinde eis non aliter, ac nobis gloriam meruit. Sed & illis quibus eam gratiam non meruit, meruit tamen essentialem gloriam, ut docebamus citata q. d. 2. quia, licet præstita obedientia Deo ex illa gratia non Christi gloriam essentialem condignum habuerint titulum ad illam, merita Christi expectata etiam sunt, ut conferretur à Christi, ac meritum eius honorem. Quarto: quia teste Paulo *omnes sunt administratores spiritus, propter eis, qui beuolentiam capiunt salutis:* quare, & eis, ut mittitur in nostrum commodum inspirat meritis suis Cirillus, eique illi parent: de que ministerio suo sunt ab illo tanquam capite, & Principe suo iudicandi, ut docet S. Th. 3. p. q. 56. a. 6. si ergo Christi humanitas Angelis beatis & emittit, & influit, tot modis, ac imperat, quid illi ad morale caput Angelorum beatorum desit non video.

5 Dico vltimò: etiam viatorum Angelorum plurimum siue ex Beatis, siue ex damnatis Christus secundum humanitatem extitit caput. Angelorum beatorum quandiu viatores exiterint dedimus nuper probationem: quia, ut ex controu. 6. d. 2. q. 2. cert. 3. referrebamus prima gratiæ auxilia, ne laberentur, sed Dei præceptum seruarent, ex meritis Christi data à Deo sunt: quod ipsum de gratia habituali, reliquique donis, in quibus à Deo creati fuere censendum est iuxta ibi dicta: ergo Christus meruit in eos ea gratiæ dona cuncta, de quibus dubium esse posset, influit. De damnatis autem demeritis quandiu etiam viatores fuere eadem ratione probatur: quia eorum pluribus, imò fere omnibus, gratiam primam

cum auxiliantem, tum habitalem fuit promeritus, vt eode modo ostendebamus.

Dixi pluribus, non Angelis omnibus; quia eorum aliquibus, tam bonis quam malis in statu viatorum auxilia gratiæ, & quæ alia eorum obseruationi, aut transgressioni natura præcesserunt promereri illis Christus non potuit. Nempe, Protoperentium tentatoribus demoniis, eorumque custodibus Angelis, vt loco citato fusius ostendimus: Si autem reliquis Christi humanitas donæ gratiæ meruit: ac Beatis omnibus essentiali, & accidentali gloriam, cum Angelis omnibus vniuersis dignitate emineat, Christum secundum humanitatem viatoribus fere omnibus, Beatis verò omnibus caput extitisse compertum est.

CERTAMEN III.

Quomodo Christus, quæ homo cæterarum creaturarum caput existat.


G Alatinus 7. de arcan. Catholica veritat. à cap. 2. Catherinus lib. de eximia Christi prædestinat. docent Christum, quæ hominem, reliquarum etiam omnium creaturarum esse caput: quia in earum omnium effectiõnem influat, & conseruationem. In quam sententiam confirmandam Rabbinos, nescio quos, quasi Dei consiliarios inducunt: qui aiebant Deum in odium peccati Protoperentium nostrorum præuisi decreuisse non creare mundum; quem tamen postmodum ne Christo, eiusque sanctissima Matre careret eorum meritis motum mundum totum, & quæcumque in illo facta à Deo sunt creare decreuisse dicebant. His Recentiores nonnulli apud Vasquez, vbi proximè cap. 2. addidere Christum in creaturas ipsam antecedentes duratione meritorie solum influxisse: in subsequentes vero omnes physico etiam influxu instrumenta. Ji, vel per se, vel per Angelorum ministerium. Communis ratio est, quia id sine incommodo vilo meritis Christi tribui potest. Maxime cum visibilis saltem, rerum vniuersitas ab Angelo Christi humanitate, & virtute, & dignitate, & virtute inferiori, & pendeat, & gubernetur.

2 Verum, vt in hac opinione Deo indignam in decretis suis inconstantiam, & mutationem omittam, sic opinantes inani quadam, atque impia fortasse pietate ducuntur. Atque in primis ille Rabbinarum discursus crassus est, & somniantium similis historia. Ratio vero contra receptam hætenus à tota Theologia, & Ecclesia Augustinianam doctrinam de gratia creationis, & gratia per Christum, siue Christi. His enim vbiq; magno studio Augustinus inter sese distinguit: vt constat ex epist. 90. epist. 95. epist. 105. vbi ex professo probat gratiam creationis, siue bona hominis naturalia nullatenus gratiam per Christum esse: circa mediumque epistola ait. *Meruit nobis Christus, vt iusti essemus, non, vt homines, vel liberi essemus.* Vnde, & illud vulgare, ac tritum Theologis omnibus proloquium manent. *Christum mortuum esse non vt mortui cederentur, sed vt viui iustificarentur.* Illud autem quod citati Recentiores addebant Christum in creatura omnia mundi, quæ ipsius existentiam fuere duratione subsecuta, non meritorie solum, quod nuper impugnabamus, sed physico etiam concursu physice influxisse, & paradoxum est, & doctrinam nunquam nobis probatam, vel probandam de potentia obedientiali actiua creaturarum supponit.

3 Dicendum igitur est cum Vasquez proximè, Soares sect. 1. §. solum ergo Christum quodammodo reliquarum creaturarum caput esse, quatenus eas ordinat ad hominum salutem, atque ex eius incarnatione creatura vniuersa dignitatem quandam, & nobilitatem recipiunt: ac denique quatenus post vniuersale iudicium

R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.


omnia per Christum instaurabuntur, atque à seruitute corruptionis per ipsum liberata nouum quandam splendorem habebunt, vt prædixit Paul. ad Roman. 8. *expectatio creatura reuelationem filiorum Dei expectat quoniam & ipsa liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei.* Idcirco Theodoretus, & Occumen. in id ad Hebræ 2. vt pro omnibus gustaret mortem creatis omnibus proficuum fuisse mortem Christ. dixerunt. Cæterum earum rerum officiis eiusmodi Christus, Dominus potius, quàm caput ostenditur. Hæc quippe non sunt magis Christi membra, quàm sic Domini, aut Patris familias, aut Regis membrum suppelles: licet eam quandoque ornent, atque in suorum membrorum vltus impendant.



DISPVATIO V.

De iudiciaria Christi dignitate, & potestate.

Ac de re comuniter disputatur à Theologis in vita Christi & à S. Th. q. 59. verum potestatis, & dignitatis huius consideratio, ac secundum quam naturam Christo Domino competat, atque, ad quos diiudicandos extendatur controuersum huius propriissima semper nobis visa est, licet de die, loco & modo in vniuersali iudicio seruandis exacta, siue disputatio, siue historia in eum locum merito videatur remittenda.



QVÆSTIO I.

An Christo homini competat iudiciaria dignitas, & potestas?

Ria in hac questione supponenda potius, quàm disputanda. Primum: Christo, quæ Deus est, iudiciariam potestatem, eamque supremam competere. In quem sensum illud Ioan. 5. *Potestatem dedit ei, Filio, iudicium facere, quia filius hominis est.* Intelligunt Chrysost. hom. 38. Ioan. circa med. Theophylact. & Euthym. causalis quippe illa aptum sensum non reddit, inquit, nisi adiungatur sequentibus puncto immediatè ante adhibito, vt legitur. *Quia filius hominis est nolite mirari in eo: qui etiam Deus est, vt deinceps ostendit.* Secundum: iudiciariam hanc diuinam potestatem appropriatiuè Christo competere: quia vt acutè S. Th. quæst. 59. art. 1. corp. quia Christus Verbum est, cui appropriatiuè competit sapientia, ac proinde iudiciaria potestas, quæ sapientiæ est; licet potestatem, & rectitudinem necessario supponat. Tertium: diuinam hanc iudiciariam potestatem, & dignitatem Christo homini per communicationem idiomatum conuenire. Id quod citato loco à Christo asserti sensuit Cyrillus 2. in Ioan. cap. 144. Disputatur ergo an humanitas Christi iudiciariam potestatem & diuinam inferiorem ad prauas honestasque creaturarum rationalium actiones iudicandas habeat?

NNaa CERTA